



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507


Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](#)



PRÆFATIO.

In Præfatione ad trigesimum continua-
tæ Historiæ tomum detectæ fuerunt
artes, dolique, quibus nonnulli aut
minus recte de Religione sentientes, aut
omnino jamjam priorum hæresum vene-
no infecti sub vario pietatis, ac zeli ob-
tentu erroribus Lutheri præcinebant;
nempe, ut D. Hieronymus (a) optime
scripsit, *venena non dantur, nisi melle*
circumlita, & vitia non decipiunt, nisi
sub specie, umbraque virtutum: verum in
præfenti volumine, quo magis vicinus
nobis exhibetur infernalis Iunus hidræ
ortus, eo magis aperta ac manifesta in-
dicantur futuræ calamitatis præfigia,
inter quæ potissimum recensenda venit

a 2

illius

(a) Epist. 7 ad Lætam.

PRÆFATIO.

illius ævi periculofas opinones, ac sententias de fide suspectas passim in vulgus spargendi libertas; ex obvia enim Historiæ Ecclesiasticæ lectione patescit, quod non coercita opinandi licentia, ac novitatum libido ipsas hærefes præcesserit, unde merito illa ætas sibi de funesto proximæ sectæ malo timere debet, in qua non pauci liberrimo calamo, qui cquid sanctum sacramque est, ex solo nova proferendi studio carpere, ac veterem Ecclesiæ disciplinam ad sydera usque non eo ex fine extollere cernuntur, ut ea ad majorem vitæ perfectionem in fidelium cordibus resflorescat, sed ut ipsi præsentem Ecclesiæ disciplinam fugilandi, contemnendi, ac denique illam penitus a se amovendi prætextum habent; hæ enim querulæ voces de collapsa Ecclesiæ disciplina, & veteri restauranda plerumque duntaxat in illorum zelotum ore versantur, qui nequidem ob humanæ conditionis imbecillitatem relaxatae disciplinæ leges amplius observare dignantur, sed cum maxima populi offensione libere transgrediuntur, & de ipsa hac transgressione, ac spiritus

PRÆFATI.

tus libertate , ut inquiunt , gloriantur :
eapropter ab ejusmodi hominibus merito tanquam ab hæreticorum Præcurso-
ribus summopere cavendum est.

Ex hac ipsa promiscua sentiendi , ac
scriptitandi libertate ante exortam Lu-
theri sectam plures Viri pietate ac eru-
ditione clarissimi calamitates Ecclesiæ
impudentes præfigiebant , horum non-
nullos Floremundus Ræmundus ex Cal-
vini stabulo ad Ecclesiæ ovile reversus
(b) recenset , atque inter alios præci-
pue quamdam Virginem Elisabetham na-
tione Anglam , Thomam Morum , &
Fratrem Thomam ex Ordine S. Fran-
cisci memorat , qui omnes *non solum im-*
minentem tempestatem præviderant , ve-
rum etiam pleraque omnia , uti postea ac-
ciderunt , prædixerant. His omnino ac-
censendus est Hieronymus Savonarolla ,
de quo hanc in rem in præfenti tomo
amplior mentio fit. Præterea S. Hil-
degardis , cum homines *incredulitate ac*
quovis opinionum vento abripi cerneret ;
Ecclesiam nova hæresi devastandam qua-

a 3

fi

(b) Historia de ortu & progressu hæresum lib.
I. Cap. 2. num. 5. fol. mihi 8.



PRÆFATIÖ.

si digito præmonstravit (c), *Ah misera Ecclesia!* exclamabat sancta hæc Virgo, quid ages? mille hæreses in te orientur, ædes tuæ sacræ, atque adeo ipsa etiam sacra profanabuntur, Principes contra te insurgent, populi contra te arma capient, omniaque in ruinam tuam conspirabunt, *& quia ultimi sæculi homines IN-CREDULITATE ET QUOVIS OPINIONUM VENTO abripi se patientur, Deus Ecclesiam ab eis auferet.*

An omnia hæc vaticinia ex vero Dei afflatu fuerint prolata, impræsentiarum haud discutiendum existimo, id tamen omnino certum est, quod illi, quibus eo tempore exacte perspecta erat Hussitarum, & Bohemorum Fratrum ætas, facile ex similitudine temporum, ac circumstantiarum mala & perturbationes ex proxima hæresi impendentes prævidere poterant; priusquam enim Hussitarum furor in apertum prorumperet incendium, præcesserat effrænis novas opiniones spargendi libido, liberius affixis ubique libellis carpebantur aut veri aut

(c) Lib. revelat.

PRÆFATIO.

aut conficti Ecclesiæ abusus ; displicebant pretiosi Templorum ornatus ad augustiorem Dei cultum instructi , ut eo facilius ipsæ sacræ ædes exscoliari , ac penitus everti possent , denique exagrabantur publice nonnullorum Sacerdotum vitia , ut sensim ipsum etiam Sacerdotium , atque Sacra menta vilescerent : arguebantur Monachi de avaritia & ambitione , ut novi hi reformatores postea magis impune horum opibus propriam avaritiam , & Sacerdotibus omnino vilipensis , atque a dignitatum fastigio exclusis suam ipsi ambitionem satiare valerent . Plurimi etiam illorum , qui cultiori ac politiori literatura clari viderigestiebant , in contemptum Sacerdotalis Ordinis linquas acuebant , & calamos : omnia eis fordebant , quæ Ecclesiasticum nomen sapiebant , Sacerdotes pa sim Sacrificuli & Popæ in circulis & popinis nominari audiebantur , nihil denique hisce emunctæ naris hominibus de Sacro Clericorum , & Monachorum statu gratum acceptumque erat præter temporalia illorum bona : De ejusmodi autem Harpiarum sermonibus idem dici



PRÆFATIO.

posset, quod D. Hieronymus de nutribus & gerulis ad Furiam nobilem Vi- duam scripsit (d): *Cave istiusmodi vene- nata animalia, quæ de corio tuo satiari ventrem suum cupiunt. Non suadent quod tibi, sed quod ipsis profit. Quicquid non tulerint, sibi ablatum pu- tant, nec considerant de quanto, sed quan- tum accipient.*

Præterea infausta illa ætate pro mo- re omnium Hæreticorum etiam Hussi- tæ criminabantur supremum Ecclesiæ Caput, atque ea vitia, quæ nonnun- quam a Curiæ suæ Ministris perpetra- bantur, in ipsam Sedem Apostolicam detorquebant, eo fine, ut depressa il- lius auctoritate pœnas ob temeritatem, motamque seditionem promeritas elude- re, ipsiusque Judicis potestatem vulgi ludibrio exponere, ac tandem impune penitus se se eis obedientiæ atque obse- quio subducere possent.

Hæ præcipue erant tempore Hus- fitarum fraudes, artes, & dogmata, cum igitur præsertim ad initium Sæculi XVI.

(d) Epist. 10.

PRÆFATIO.

XVI. eadem morum perversitas , opinionum licentia , ac palam & impune calumniandi libido grassaretur, ex hisce præludiis facile colligi poterat, quod rursum nova hæresis partui proxima instet. Quo enim tempore illi , qui puriorem doctrinam ac politiorem literaturam jactitabant, liberius linquas & calamlos acuebant in contemptum Clericorum , Monachorum , ac ipsius etiam Sacerdotalis Ordinis , præcipue vero in summi Pontificis vilipensionem ? Ex propinquioribus cauissis , per quas Lutheri hæresis introducta fuit , quidam nostri ævi Scriptor eruditissimus ait (e), alteram caussam suppeditavit ingens odium erga Ecclesiasticum ordinem , quod in Laicis , Virisque Politicis illius ætatis , ac etiam aliis in suo genere sat eruditis excitavit partim neglectus politioris literaturæ in Clero , partim contentio orta Theologos inter Ego mansuetiorum Musarum cultores , æmulatione , atque invidia , ut fieri solet , fomenta tam liberaliter suppeditante , ut secundum deformationi Lutheranæ præludium factum sit, Odorico Ray-

a 5

utal-

(e) Ignatius Schwarz de origine & causis deformatione Germanie.



PRÆFATIO.

naldo teste, dum sic scribit (f). Ardebant hoc tempore in Germania graviora odia inter politicorum litteratorum studiosos, ac Theologos, ex quibus postea Authore Luthero immensum defectionis illius excidium conflatum est....
Isti enim primi conscriptis libellis omnes Theologos velut agrestes & barbaros deridere, ludibrioque habere cœperunt, tum vero maxime Religiosarum Familiarum Alumnos proscindebant dictariis, & per ora hominum traducebant, necnon sacræ fidei Censores insimulabant tyrannidis intolerandæ. Accessit, quod Erasmus Rotterodamus multa de rebus fidei dubia scriptis suis insperserit, & venenum amoenorum literarum flosculis tectum imprimis incautæ juventuti, aliorumque animis instillarit. Hos cœmulati alii fuere: Inde contigit, ut sparsis quaqua versum satyricis mercibus mortifera Germanis plaga inflcta sit, siquidem incauti ejusmodi argutiis irretiti, delectatique irrisionibus, facetiis, ironiis, salibus, & scommatibus, in Ecclesiasticos Viros effusis avide Lutherana venena hausere. Hanc igitur scriptitandi libertatem, ac Sacerdotum vilipen-

(f) In Annal. Eccl. ad ann. 1516. n. 48.

PRÆFATIO.

lipensionem eo tempore quamplurimi veræ fidei studiosi, ac tum pietate tum doctrina insignes Viri velut præludium, imo & tanquam classicum suspiciebant, quo edito brevi novi hæresiarchæ contra ipsam Ecclesiam in arenam descensuri, ac omnia fusque deque versuri essent.

Eapropter Christophorus Scheurlus patria Norimbergensis ac Wittembergæ Jurisprudentiæ Professor, necnon Saxoniae Ducis Senator in quadam oratione Anno 1511. coram confessu Academico habita amare deplorabat utriusque Cleri contemptum ac vexationes, quibus ante exortam Lutheri sectam Sacerdotes Dei editis passim libellis famosis, aliisque modis affligebantur, dum annales revolvo, inquit ipse, monumenta & historias, invenio nullum unquam fuisse tempus, nullam cætatem extitisse, in qua Sacerdotes tam illiberaliter, tamque indigne habiti fuerint, ac nostra tempestate: hunc ipsum autem indignum agendi modum futuræ a fide vera defectionis prodromum esse præfatus Doctor præsensit, ac quamplurimis demonstravit exemplis, quod sicut tam Christianis, quam gentilibus Sacerdotii piis

PRÆFATIO.

piis cultoribus ingentia præmia , felicesque rerum successus æquissimo Dei judicio concessi fuerint , ita etiam Sacerdotum , ac Religionis contemptoribus , rerumque sacrarum exactoribus graves ultiones semper fuerint infictæ , cum aut fortuna , aut fide excidissent.

Ex his clare perspicitur , quod sicut omni ævo , ita & recentioribus hisce temporibus ante exortas hæreses non nulli ex castris Israel exsurrexerint , qui liberiori calamo contra Ecclesiæ summi capitis auctoritatem , necnon adversus Sacerdotii statum declamabant : Verum ejusmodi rabulis semper Præfulum vigilantissimorum Zelo ac Principum auctoritate os occludere adlaboratum est ; non enim ejusmodi hominum ausus atque impetus ad commune exitium pertingere valent , si ipsis ab initio statim frænum injiciatur , nec piis doctisque Viris sese linqua & calamo opponendi libertas dematur ; gravius tamen tunc imminet periculum , ubi ejusmodi conviciandi licentia , aut ex incuria , conniventia , aut ex tacito etiam consensu impune exerceri permittitur , imo etiam famosi ejusmodi libelli , quo ma-



PRÆFATIO.

magis impudenti calamo conscripti sint, eo majori cum applausu excipiuntur, præcipue hisce temporibus, ubi ex scriptitandi pruritu etiam illi, quibus ex conditionis suæ ratione nil minus quam res sacras discutere competit, usurpata auctoritate sese tanquam fidei censores, rerumque Ecclesiasticarum judices, atque arbitros constituant: unde evenit, ut tales non sine maximo Religionis ac Ecclesiæ damno ob spuria, falsa, vel dubia Historiæ Ecclesiasticæ testimonia perverso admodum illius usu ea rejiciant, quæ veneranda antiquitas approbavit, vel alia jam dudum damnata ac rejecta veluti sacrata veteris disciplinæ monumenta rursus producant, commendent, ac approbent: quam proxime autem ejusmodi licentia ad introducendas hæreticorum opiniones disponat, S. Vincentius Lirinensis detegit, dum ita loquitur (g): *Satis evidenter perspicueque monstratur, hoc apud omnes fere hæreses quasi solemne esse ac legitimum, ut semper prophanic novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidian, & per oppositiones falsi nominis scientiæ a fide naufragentur.*

Porro

(g) l. 2. c. 22.

PRÆFATIO.

Porro ex promiscua ejusmodi libellorum lectione fideles sensim sine sensu ad antiquam Christianæ Religionis, & disciplinæ simplicitatem liberius contemnendam inducuntur; facile enim vulgus vera existimat ea, quæ a Viris, ut credunt, eruditis crebro ac publice per libros etiam in lingua vernacula scriptos, spargi, ac non sine aviditate a plerisque excipi cernunt, quæ sane, inquit idem Lirinensis (h): *Non solum tentatio, sed magna est tentatio, deditam sibi, atque in se pendentem Ecclesiam admiratione ingenii, scientiæ, eloquentiæ, conversationis, & gratiæ nihil de se suscipiantem, nihil verentem subito a veteri Religione in novam prophanitatem sensim paulatimque traducere.* Periculosius autem longe est, quando Semi-Catholici, ac Semi-Doctores palam non modo Ecclesiæ abusus, sed ipsam etiam Ecclesiam, non solum Pontificum Personas & gesta, sed ipsum etiam munus, ac potestatem, ac denique non modo Sacerdotes, & Religiosos, sed ipsum quoque Sacerdotium, sanctosque Monachorum Institutores libellis passim editis indignum in modum

con-

(h) Vincentius Lirinensis in commonitorio
cap. 23.



PRÆFATIO.

convitiis proscindunt, eo fine, ut Mimo-
rum more acerbis oppido jocis ac sarcas-
mis rudioris populi applausum emendi-
cent. Adversus hosce deceptores jam du-
dum D. Paulus(i), hisce verbis nos præmu-
niebat. *O Timothee depositum custodi, de-
vitans prophanas vocum novitates, & oppo-
sitiones falsi nominis scientiæ, quam quidam
promittentes, circa fidem exciderunt. Hi
ea etiam, qua vivimus ætate, Catholicis
suggerunt: (k) Venite o insipientes & miseri,
qui vulgo Catholicivocatamini, & discite
fidem veram, quam præter nos nullus intel-
ligit, quæ multis ante Sæculis latuit, nuper
vero revelata & ostensa est, sed discite fur-
tim atque secretim; ideo enim vobis propi-
navimus multos libellos suppressis nostris
nominibus, & sub speciosis puræ veritatis,
ac sanioris doctrinæ titulis & prætexti-
bus; cum vero hæc didiceritis, latenter alios
docete, ne mundus audiat, nec Ecclesia sciatur.
Quis est hodie Timotheus, exclamat Liri-
ensis, nisi vel generaliter universa Eccle-
sia, vel specialiter totum corpus Præposito-
rum, qui integrum divini cultus scientiam,
vel habere ipsi debent, vel aliis infundere?
Quid est depositum custodi? custodi pro-
pter*

(i) 1. Tim. 6.

(k) Idem l. c. cap. 23.

PRÆFATIO.

pter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus supersemint Zizania super bonum semen, custodi Catholicæ fidei talentum inviolatum, illibatumque conserva. Habetur quidem in Ecclesia Christi profectus Religionis & quidem maximus, sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio, crescat igitur oportet, & multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, ætatum, ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Aurea plane verba ætate nostra intime omnium cordibus insculpenda; salubre prorsus consilium, quod si sequi non pigeat, brevi futuræ hæresis timor evanescet, hanc enim ob caussam in Historiis Ecclesiasticis tam sedulo ortus & progressus hæresum, nec non Hæreticorum fraudes, & machinationes tam occultæ quam apertæ describuntur, ut posteri & præcipue illi, quibus, ea cura potissimum incumbit, ex præteriorum damno futuris obviare, & mala præsentia tollere discant.

CON-

